



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius


Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXI. Christus extensis in cruce manibus orans, exemplum nobis præbet, quod salubriter imitemur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXI.

Christus extensis in cruce manibus orans,
exemplum nobis præbet, quod imitemur.

Clamavi ad te Domine: expandi ad te manus meas.

Psal. 87. 10.

I.

Moyses, ubi contra Amalec erat pugnandum, cum virga sua, quâ priùs mare rubrum divisorat, montem ascendit: *Cumque levaret manus Moyses, vincebat Israël: fin autem paululum re-* Exod. 17. 12. *misisser, superabat Amalec.* Quid igitur consilii in re tanti momenti? Aderant tunc quoque in vertice montis Aaron & Hur, qui, cùm manus in Moysè jam senescente ob tam diuturnam extensionem lassatas advertissent, eas in oratione Moysis tam diù in sublime sustentarunt, donec Josue, fugato Amalec, hostilem exercitum profigaverit, & in ore gladii usque ad internecionem deleverit: *Fugavique Josue Amalec & populum ejus in ore gladii.*

Per Moysen Christum subaudi in Calvario monte virgam suam, hoc est, crucem in manibus tenentem, & expansis in modum crucis brachiis ad Patrem suum coelestem pro salute nostra orantem: *Moyses,* ait S. Isidorus, *brachia in modum crucis extendit; sicutque hostis signo crucis Do-* S. Isidor. in minica superatur, & Cornelius à Lapide: *Virga hæc, inquit, significabat Exod. c. 25. crucem Christi; unde Patres docent, Moysen hic crucis Iesu habetum & typum Cornel. hic, gessisse.*

2. Voluit autem mitissimus orbis Servator Christus in cruce extendere manus. Primò ut omnes ad se invitaret: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Secundò ut paratum se ostenderet, ad omnes amplectandos, quemadmodum mitis ille & vere misericors Pater expansis brachiis filium suum prodigum nunc ad frugem redeuntem exceptit, & pectori suo admovit: *Accurrens cecidit Lue. 15. 20. super collum ejus, & osculatus est eum.* Tertiò ut comprehenderet fines universæ terræ, ita prædicente Sybillâ, ut resert Sozomenus: *Expandet que*

que manus, totum mensuret ut orbem. Quartò ut Patrem exoraret cælestem, illique nos sisteret, atque per SS. Vulnera sua, velut sacra ora, veniam nobis exoraret, Pater ignosce. Quintò ut nobis monstraret, quomodo efficaciter ad DEum orandum; proinde antiquissima in Ecclesia Dei consuetudo est jam ab Apostolorum tempore introducta, ut in oratione nostra manus in modum crucis expandamus, ut sic crucis memores nostram in ea spem & in meritis Christi ponamus; juvat hic audire S. Ambrosium: *Ipsius ait, incessus hominis, cum manus levarent, crucem pingit, atque ideo elevatis manibus orare præcipimus, ut ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur.* Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem manus loquitur, etiam corpus imitatur.

3. Ex quibus appetet, quod oratio illa magis apud DEUM sit meritoria quæ fit distentis in formam crucis manibus, quam illa quæ offertur DEO junctis vel conclusis manibus, quia talis homo, qui elevatis manibus orat, demonstrat quod crucifixum sincerè amet, eumque, quantum in se est, imitari studeat, unde paratum se exhibet ad pugnam & omnem labores pro crucifixo obcundos; Et sicut naufragus in mediis undis constitutus brachia expandere solet, quo signo auxilium implorat & succursum; Sic qui inter orandum manus in cœlum atque in formam crucis erigit, quæ publicè, quæ privatim ostendit, quod honoret Crucifixum Dominum suum, cuius gratiam & misericordiam tam humili corporis gestu implorat. Et quorsum, obsecro, Lector Staurophile, in omnibus nostris necessitatibus securius fugiamus quam ad crucifixum IESUM? Non enim est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub calo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

4. Ad Davidem Regem transeamus, qui inter spem & metum constitutus, dum exercitum suum contra rebellem Absolonem filium suum jam explicatis signis progredi conspexit, in genua humiliter pro voluntus, expansis ad cœlum manibus imminentem suorum pugnam DEO commendavit, humiliter obsecrans, quatenus benignus Dominus justis assisteret armis: *Expandi, inquiebat, ad te manus meas: anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me Domine.* Et iterum in alio loco: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* quod idem est (prout eleganter hic observat le Blanc & alii) *Elevatio manuum mearum,* id est oratio quam manibus in cœlum elevatis & expansis ad te dirigo Deus, sit tibi perinde grata *sicut sacrificium,* quod tibi tempore vespertino Jerosolymis offerre consuevi, ubi nunc in exilio constitutus, & proprio filio rebellante ab urbe mea expulsus, illud tibi DEO optimo, maximō offerre non possum.

Erat

S. Ambros.
Sermon. 56.

Act. 4. II.

Psal. 142. 6.

Psal. 140. 2.

Erat autem hoc sacrificium Vespertinum agnus quidam immaculatus, in veru ligneo in formam crucis expansus, & lento igne pro salute totius populi assatus, quam victimam Sacerdos pro peccatis totius prateriti diei DEO offerebat, & in altum, ut sic eam DEO sifteret, ac consecraret, elevabat; pro ut nunc Sacerdotes Christiani in sacrificio missæ post consecrationem SS. Hostiam elevare afoarent. Ex quibus facilè intelliges, Lector prudens, quam ob causam prudentissimus Rex David in extrema illa constitutus necessitate manibns ad cœlum in formam crucis extentis ad DEUM oraverit, ut videlicet eo modo facilius iratum Numen placaret, & divinam à se averteret indignationem, erat enim Propheta, & à DEO superiore illustratus lumine clarissimè ex hoc figurante figuratum, & ex victima Vespertina Christum & hunc crucifixum prævidit & agnovit, qui, velut agnus innocentissimus, horâ vespertinâ, hoc est nonâ, pro delictis totius mundi in ara crucis oblatus est, per quem à DEO gratiam & contra rebellantes victoriam obtinuit: Illud, ait S. Augustinus, est sacrificium vespertinum, S. August., in passio Christi, Crux Christi, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo &c. Psal. 40.

O Christiani! non erubescamus in oratione nostra in modum crucis expandere manus nostras: Quienam, subintrat hic B. Bruno Episcopus, B. Bruno in Exposit. psalt. Incognitus expansis manibus orat, crucem Redemptoris imitatur; Et Incognitus: Quando expandimus manus in modum crucis, tunc significamus nos imitatores Christi Incognitus fol. 1037.

5. Desideras plura? Salomonem attende; Ubi templum suum complevit, convocato omni populo stans ipse in loco eminentiori divinæ Majestati debitas persolvit gratias, sed non alio modo, quam expansis per modum crucis brachiis: *Sicut Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israël, & expandit manus suas in cœlum &c.* Et exauditus est in deprecatione sua, impleverat enim gloria Domini domum Domini &c. Petrus Galatinus hic observat, quod Salomon manus suas in formam crucis expandens in cœlum, in umbra præviderit Christum Dominum & hunc crucifixum, quem & omnes victimæ, quas immolabat, repræsentabant, ideo & ipse extentis in modum crucis brachiis orabat in cœlum. En si vis singularem à DEO obtainere gratiam, imitare hic Salomonem, dum ad DEum preces fundis: *Nos vero, sunt verba Tertulliani, non attollimus tantum, sed etiam expandimus manus ac brachia, & Dominicam passionem modulantes, confitentur Christum.*

6. Salomoni adjungo Jonam Prophetam, qui à balena absorptus, cum in summis versaretur angustiis, in ventre pisces expansis ad DEum brachiis oravit: *Et oravit Jonas ad Dominum DEum suum de ventre pisces,* & *Jonas 2, 2.* dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me. Andreas

Ginther Unus pro omnibus.

G g

Episco-

Galatin. lib.
8. de arcana
cap. 17.

Tertul. de
Orat.

234. Consideratio LXI. Cur expansis manibus orandum?

Andr. Cretens. Episcopus Cretensis ait, quod Jonas extensis brachiis suis signum crucis efformaverit, & per merita venturi Messiae, suo tempore pro salute universorum crucifigendi, fuerit exauditus: *Elevavit, inquit, Jonas vocem manibus in crucis formam subatis, & statim virtutem ex alto attraxit, sine noxa ex bellua ejus.* Habes hic rursus formam & modum, Lector Christiane, quem imiteris: si vis exaudiri in oratione, tentatione ac tribulatione tua, expande saepius manus tuas ad Dominum & Amorem tuum crucifixum; Crux enim est altare propitiatorium, ad quod securum repries auxilium & asylum in tempore oportuno.

**S. Max. Ep.
hom. 5. de
SS. Apost.**

**Epiphanius, ha-
scil. 78.**

**Annal. F. F.
Minor. Lyr.
& alii.**

Surius in vita.

7. S. Petrus Apostolorum Principem consule. Cum Simon Magus Romae se palam Christum Dei Filium profiteretur, & nunc opere dæmonis in aëre elevaretur: *Prior, ait S. Maximus, ascendit Petrus oratio ad Dominum, quam volatus, & ante pervenit justa petitio, quam iniqua præsumptio,* nam Simon Magus ab aëre in terram præcipitatus, in petra crura confregit, & turpiter eoram omni populo Romano confusus est. Clemens Alexandrinus observat, quod S. Petrus tunc expansis in modum crucis manibus ad DEum oraverit, cuius orationis virtute & Christi crucifixi meritis, quem hic invocabat Petrus, mox dæmon fugatus est.

De S. Jacobo Ap. Minore testatur Epiphanius, quod solitus fuerit manibus in formam crucis protensis supplices ad DEum preces mittere; Et cum aliquando diurna siccitas regionem vastaret, pestisque vehemens populo minitaretur interitum, formans manibus crucem & in cœlum clamans, quamprimum regioni salutarem pluviam, & aërem salubrem impetravit.

8. S. Franciscus Seraphicus, qui totus quasi in Crucifixum transiit, frequentissime solebat præsertim de nocte expansis in formam crucis brachiis ad DEUM preces ingeminare, ubi aliquando toto corpore à terra in altum elevatus, & nube lucida circumdatus, quasi in aëre crucifixus Fratribus suis apparuit.

S. Ludovicus ex Maria Hungarica Caroli II. Siciliae Regis filius, sui & mundi contemptor egregius, qui ut crucifixo Regi suo, cui unicè militare decreverat, se magis magisque conformaret, abdicato regno & sæculi fastu, Seraphicum Ordinem S. Francisci ingressus, omnibus mortalibus exemplum præbuit, quo amore & cultu sit honorandus crucifixus JESUS, in cuius honorem quotidie, licet Episcopali dignitate insignitus & curis pluribus ac laboribus distentus, Officium de SS. Cruce expansis in modum crucis brachiis summa cum devotione recitabat; & cum diabolus in forma felis latens, ipsi strueret insidias & interitum, unico signo S. Crucis illum fugavit, & in orcum misit. Si vis, animemi, hunc hostem sugare, imitare exempla.

CON-